

## [IV.]

[Traditiones.]

[Fol. 25<sup>a</sup>.]

Tempore Ludouici Pii et pie memorie Imperatoris Karoli Magni filii erat in partibus Alemannie prouincie quidam religiosus comes nomine Erlefridus. Qui diuina tactus inspiratione, ob amorem celestis patrie, decreuit, deo cenobiale monasterium construere in predio suo, in loco scilicet ameno, qui Hirsaugia nuncupatur, idque Christo annuente feliciter et efficaciter patrauit. Nam et monasterium edificauit, quod in honore sancti Aurelii confessoris atque pontificis, cuius etiam corpus sacratissimum ibidem reconditum est, consecrari fecit et fratres, secundum regulam sancti Benedicti summo regi militaturos, collegit, quibus et de prediis suis, quantum ad corporalem sustentationem sufficeret, contradidit. Dedit enim prefatum locum cum viculis circumiacentibus et silua non modica. Dedit in Stamheim ecclesiam et magnam eiusdem ville partem cum viculis ad eam pertinentibus. Dedit in Teckenpfrun ecclesiam et quicquid ibi habuit; in Gilstein XII hubas, in Möuchingen XII hubas et ecclesiam; in Töffingen ecclesiam; in Muchelingen predium bonum. Hec sunt autem nomina villularum: Lutzelenhart, Altbura, item Lutzelenhart, Ebersbuhel, Cobelbach, Nagalthart, Ottenbrunnen, Hussteten, Gumprechtesswiler, Sumenhart, Waltingswant, Wirtzbach, Calenbach, Altbura villa dimidia. ||

Postquam ergo vniuersa cum dei adiutorio secundum propriam voluntatem consummavit et fratres, qui illuc conuenerant, regularis vite tramitem aliquandiu fideliter obseruarent, post illius obitum peccatis exigentibus sancta illa conuer-